



PONTIFICIA COMMISSIO

« ECCLESIA DEI »

DECRETUM

N. 181/2008

Saeculorum Rex atque Summus Sacerdos Christus Jesus in ara Crucis semetipsum obtulit in redemptionem pro multis, ut ipsi in Corpore eius Mystico, quod est Ecclesia, plenitudinem habeant gratiae et vitae. Ecclesia iussu Domini sui, qui post Resurrectionem suam apostolos in totum misit orbem terrarum, ut praedicarent Evangelium et Mystera “in sui memoriam” celebrarent, Divinam Liturgiam per ministerium Episcoporum ac Presbyterorum celebrans, “summe eo confert ut fideles vivendo expriment et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam” (Conc. Vat. II, Sacrosanctum Concilium, n°2).

Historiae salutis cursu, miseratione ac providentia Divina, sacerdotes et pastores Ecclesiae numquam defuerunt, immo, iterum iterumque in materno Ecclesiae sinu novae sacerdotum familiae ortae sunt quae, temporibus mutatis, salutis mysterium fidelibus novo vigore annuntiaverunt, Liturgiam Ecclesiae magna cum dignitate, pulchritudine ac devotione celebrantes ad maiorem Sanctissimae Trinitatis gloriam salutemque Christifidelium animarum.

Nostris etiam temporibus Christus, “Rex regum et Dominus dominantium”, novam sacerdotum congregationem oriri voluit, cui haud pauci iuvenes sponte nomen dederunt, scilicet **Institutum Christi Regis Summi Sacerdotis**, quod sedem habet in loco Gricigliano, in archidioecesi Fiorentina. Sodales, qui vitam communem ad instar canonicorum degunt, sibi proponunt, decore ac sanctitate



PONTIFICIA COMMISSIO

« ECCLESIA DEI »

^{N.} cultus liturgici secundum formam extraordinariam Ritus Romani, Summi Pontificis Benedicti XVI cura denuo promotam, thesaurum traditionis liturgicae fidelibus latius aperire, existimantes Sacrificium Christi, in altaribus Ecclesiae incruenter renovatum, culmen esse vitae communis totius Instituti necnon initium finemque curae animarum.

Caelestem Patronam principalem sibi Beatissimam Virginem Mariam sub Titulo suae Conceptionis Immaculatae elegerunt. Inter Sanctos, quorum exempla et doctrinam Pastores Ecclesiae fidelibus proponere non desinunt, praecipue colunt Sanctum Benedictum, Monachorum in Occidente Patriarcham, qui monachis suis praecepit, “ut Operi Dei nihil praeponatur”, deinde sanctum Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, “eius vestigia premendo” (Conc. Vat. II “Gravissimum educationis” n°10) eiusque theologicam doctrinam sequentes, denique sanctum Franciscum Salesium, cuius doctrina spirituali suavitatis ac lenitatis vitam suam imbuere satagunt.

Fundatores Instituti, Spiritus Dei influxu, vocationes ex multis regionibus accipere statim coeperunt, quibus artem sequendi Christum Regem docuerunt, viventes harmoniam inter gratiam et naturam, doctrinam et obedientiam, “veritatem in caritate facientes”. Mox Instituto iuvenes oblato laici adiuncti fuerunt, ut sacerdotibus adiuventis talentis suis variis et regnum Christi una cum illis propagarent.

Coetus piarum feminarum, sub nomine «Adoratrices Cordis Regalis Iesu Christi Summi Sacerdotis » recentioribus annis se constituit, cuius sodales in adoratione Sacratissimi Cordis Jesu et assidua oratione pro sacerdotibus, praesertim Instituti Christi Regis, apostolicae missioni sacerdotum et oblatores auxilii esse volunt.



PONTIFICIA COMMISSIO
« ECCLESIA DEI »

N.

Amborum Institutorum socii Romano Pontifici uti Vicario Christi in terra semper fidelitatem servantes, vitam communem ad instar canonicorum, cultum liturgicum solemnem celebrantes, degere sibi proponunt, sub signo sententiae Instituto propriae « veritatem facientes in caritate » ac glorificantes mirabile illud Incarnationis Mysterium, quod sub sacro immagine Divini Infantis et Cordis Regalis Jesu, eloquente amoris Dei erga nos symbolo, praecipue colunt.

Pontificia Commissio “Ecclesia Dei”, his omnibus bene perpensis, scrutinio canonico Constitutionum peracto, de consensu Eminentissimi Domini Ennii Cardinalis Antonelli, Administratoris Apostolici Archidioecesis Florentinae, die 25 augusti 2008 in scriptis dato, audito Cardinale Praefecto Congregationis pro Institutis vitae consacratae et Societatibus vitae apostolicae, considerato etiam iudicio perplurimorum Episcoporum, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice **BENEDICTO XVI** tributarum, **Institutum Christi Regis Summi Sacerdotis »**

in Societatem vitae apostolicae iuris Pontificii erigit.

Item Constitutiones praedicti Istituti ad experimentum et ad quinquennium approbat et confirmat.

Praedictus autem coetus, qui sibi nomen dedit “Adoratrices Cordis Regalis Jesu Christi Summi Sacerdotis”, Instituto “Christi Regis Summi Sacerdotis” associatus est ut Associatio fidelium publica adhuc in via ad statum Societatis vitae apostolicae; qua de causa, Decreto proprio eadem die dato, in Associationem fidelium publicam ad experimentum erigitur.



PONTIFICIA COMMISSIO
« ECCLESIA DEI »

N.

Denique Reverendum Dominum Aegidium Wach, qui una cum Reverendo Domino Philippo Mora Institutum fundaverat, Priorem Generalem ad sexennium renovabile nominat.


Contrariis quibuslibet minime obstantibus.


Ex aedibus Commissionis Pontificiae “Ecclesia Dei”,

die septima mensis octobris 2008


Darius Cardinalis Castrillon Hoyos
Praeses




Camillus Perl
Vice-Praeses


Marius Marini
a Secretis